

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 8465/76 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Incidentis: restitutionis in integrum adversus decretum rotale

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Paulo PP. VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno XIV, die 2 aprilis 1977, Patres Cardinales Dinus Staffa, *Praefectus* et *Ponens*, Aegidius Vagnozzi, Maximilianus de Fürstenberg, Franciscus Carpino, Paulus Bertoli, Sylvius Oddi, Jacobus Violardo, Humbertus Mozzoni, Petrus Palazzini, Membra Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, in sede eiusdem S. Tribunalis legitime coadunati ad decidendum incidens de restitutione in integrum adversus decretum a S. Romana Rota, die 26 maii 1976, in causa de qua supra latum, inter D.nam X, actricem repraesentatam per adv.tos ... ac ..., et D.num Y, conventum repraesentatum per Adv.tum ..., interveniente in causa R. D. P. Aemilio Eid, Promotore Iustitiae, sequens tulerunt definitivum decretum.

FACTI SPECIES

In causa nullitatis matrimonii inter Y (conventum) et X (actricem), die 8 decembris 1937, in ecclesia paroeciali Z celebrati, Tribunal N sententia diei 14 iunii 1971 nullitatem eiusdem matrimonii ex capite vis et metus in mulierem incussi declaravit.

Adversus hanc decisionem appellaverunt et Defensor vinculi, die 19 iunii 1971, ad Tribunal W, et vir conventus, die 26 iunii 1971, his verbis: “Pido que la causa sea expedida a la Curia de Roma”.

Transmissis ab Officiali N ad S.R.Rotam actis causae, die 9 iulii 1971, vir conventus suam appellationem prosecutus non est.

Orta controversia inter patronos actricis et Defensorem vinculi S.R.Rotae circa necessitatem prosecutionis appellationis, Turnus rotalis, die 7 iulii 1972 decrevit: “Tribunal S. Romanae Rotae competens esse, in casu”.

Proposito recurso ad Signaturam Apostolicam, Congressus huius Supremi Tribunalis, die 21 novembris 1972, decrevit : “Causam proseguendam esse in secunda instantia apud Tribunal W, ad quod tempore utili Defensor vinculi appellavit, dum vir conventus appellationem ad S. Romanam Rotam interposuit quidem, sed prosecutus non est tempore utili (cfr. Decisiones Signaturae Apostolicae diei 25 aprilis 1972 et diei 24 ianuarii 1972)”.

Haud obstante hoc Signaturae Apostolicae decreto, Turnus rotalis, die 26 februarii 1973, suam competentiam ad causam definiendam in secunda instantia vindicavit.

Tribunal vero W, praefata Signaturae Apostolicae decisione diei 21 novembris 1972 innixum, processit ad ratihabitionem N decisionis die 7 martii 1973 decernendam.

Contra hoc ratihabitionis decretum, vir conventus, die 29 martii 1973, ad S.R.Rotam qua Tribunal tertii gradus, ad normam art. IX, §1 M.P. “Causas matrimoniales”, recurrit, atque, die 27 aprilis 1973, recursum prosecutus est.

Turnus rotalis, die 3 iulii 1973 decrevit “causam hanc ad ordinarium *secundi gradus* examen remittendam esse”.

Patroni actricis, die 28 iulii 1973, petierunt “che questo Supremo Tribunale, in base alla cui decisione il Tribunale di V ha emesso il decreto di ratifica, voglia dichiarare esecutivo detto decreto, per essere ampiamente trascorsi i termini fissati dall’art. IX, §2 del M.P. “Causas matrimoniales”.

Hoc Supremum Tribunal, die 1° aprilis 1974, decrevit: “a) recursum interpositum ad S. Romanam Rotam a viro convento adversus decretum Tribunalis W diei 7 martii 1973, quo rata habetur sententia pro nullitate lata a Tribunale N die 14 iunii 1971 in causa de qua supra, vim suspensivam amisisse ob desertionem ex parte viri recurrentis et terminos legales iamdiu elapsos; b) ideoque praefatum decretum ratihabitionis Tribunalis W exsecutioni, sine mora, demandandum esse”.

A Summo Pontifice, die 21 martii 1975, indultum “ex gratia” concessum est ut vir conventus Y “possit, coram Sacra Romana Rota interponere recursum, de quo in articulo IX M.P. “Causas matrimoniales”, adversus decretum Tribunalis W diei 7 martii 1973, quo rata habetur sententia pro nullitate lata a Tribunale N die 14 iunii 1971”. Non agitur, bene notetur, de “beneficio novae audientiae”, vel de gratia pro causae “retractatione” vel “ulteriore propositione”, de quibus in cann. 1903 et 1989; sed de restitutione terminorum de quibus in art. IX M.P., pro recurso ad tribunal tertiae instantiae contra decretum ratihabitionis Tribunalis W. Turnus rotalis

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

decreto diei 23 .octobris 1975 sententiam Tribunalis N ratam habens, recursum D.ni Y adversus decretum Tribunalis W reiecit.

Recurrente adversus hoc decretum viro convento, subsequens Turnus triplici dubio: a) utrum decretum coram R. P. D. Huot sit appellabile, an non; b) utrum causa admittenda sit ad ordinarium tertii gradus examen, seu an concedenda sit nova causae propositio; c) utrum decretum W sit nullum declarandum quod attinet ad declarationem culpabilitatis partis conventae, decreto diei 26 maii 1975, notificato die 30 octobris 1976, respondit: “ad a): affirmative, seu decretum rotale diei 23 octobris 1975 coram R.P.D. Huot appellationem admittere, atque ideo accipi appellationem seu recursum contra idem a parte conventa interpositum; ad b): affirmative, seu causam admittendam esse ad tertii gradus ordinarium examen, in casu; ad c) provisum in praecedenti”.

Instante, die 8 novembris 1976, parte actrice “ut hoc Supremum Tribunal decretum rotale diei 26 maii 1976 *coram* Pompedda infirmet, restitutionem in integrum concedens ob legis praescriptum evidenter neglectum (can. 1905, §2, n. 4)”, Congressus Signaturae Apostolicae diei 30 novembris 1976 decrevit: “Recursum quo postulatur restitutio in integrum, admittendum esse, in casu”.

Exhibitis memorialibus partium ac praehabito voto Rev.mi Promotoris Iustitiae, Nobis hodie respondendum est dubio concordato: “an concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum a S. Romana Rota die 26 maii 1976, in eadem causa latum”.

IN IURE

Prescriptum legis, quod a decreto impugnato neglectum dicitur, est art. IX M.P. “Causas matrimoniales” cuius textus prae oculis habere praestat:

“1. -Adversus decretum collegii, sententiam primi gradus ratam habens, defensor vinculi vel pars, quae se gravatam putet, ius habent recurrendi, intra decem dies a die publicationis decreti, ad superius Tribunal, sed tantummodo prolatis novis et gravibus argumentis, quae tamen praesto sint, huiusmodi argumenta debent exhiberi Tribunali tertii gradus intra mensem ab interposito recurso,

2. Defensor vinculi tertii gradus, audito praeside Tribunalis, potest a recurso recedere; quo in casu Tribunal declarat litem finitam. Si autem pars recurrat, Tribunal, perpensis argumentis allatis, intra mensem ab interposito recurso, vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad ordinarium tertii gradus examen”.

Haud immerito notatum fuit: “Quoad terminos impositos Tribunali ut hunc recursum videat: “intra mensem ab interposito recurso”, videtur mendum prolapsum ex fine praecedentis paragraphae: nam si partes gravatae exhibere debent argumenta gravia et nova “intra mensem ab interposito recurso”, quomodo Tribunal videre debet intra eundem mensem ab interposito recurso “eundem recursum”? Ideo rectius forsitan legendum: “intra mensem ab argumentorum exhibitione” (AE. COLAGIOVANNI, “De innovatione processus matrimonialis”, Neapoli, 1973, 53 in fine).

Ad legem interpretandam, can. 18 C.J.C. decernit: “Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserint, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum”.

Sive legis finis sive legislatoris mens in M.P. “Causas matrimoniales” edendo, in eodem expressae sunt.

Finis iam ex titulo apparet, qui ita inscribitur: “Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, quibus *normae quaedam statuuntur ad processus matrimoniales expeditus absolvendos*”.

Item in proemio haec passim leguntur: “Ecclesiasticorum enim iudicum ministerium aperte ostendit - etsi modo sibi proprio - pastorem caritatem Ecclesiae, quae probe novit, quantopere in iudiciis matrimonialibus animarum saluti consulatur.

Cum autem huiusmodi causarum numerus temporibus nostris magis in dies augeatur, Ecclesia facere non potest, quin hac de re sit valde sollicita. “... [Ecclesia] vitare simul, opportunis statutis normis, exoptat, *ne nimia iudiciorum matrimonialium diuturnitas plurimum filiorum suorum spiritualem statum reddat graviores*”.

“Dum igitur expectatur processus matrimonialium reformatio ... visum est Nobis quasdam edere normas de constitutione Tribunalium ecclesiasticorum deque processu iudiciario, quibus *expeditior fiat matrimonialis processus*”.

IN FACTO

Decretum impugnatum agnoscit: Equidem in art. IX M.P. “Causas matrimoniales” *non effingitur hypothesis cuiusdam recursum* adversus decretum collegii quod reiecerit ordinarium tertii gradus examen; aliunde *igitur hypothesis solvenda erit*.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Attento “(*obiecto*) *iudicii* acti penes *tertii gradus* Tribunal”, nempe quod “spectat novum examen post duplicem conformem decisionem ...”, in eodem rotali decreto fit recursus ad “analogiam saltem cum canonibus 1989 et 1903, qui nullo modo abrogati sunt dicendi, atqui, ipsum censet, iudicium *unum* prolatum de illo *obiecto*, sane per decretum Tribunalis reiciens ordinarium *tertii gradus* examen, nequit constituere *rem quasi iudicatam* (collatis canonibus nuper citatis cum canone 1902). Superest ergo, ex canonibus 1879-1880, ius appellationis seu recurrenti parti quae se gravatam putet”.

Patronus autem viri conventi, attento “silentio” articuli IX M.P. “Causas matrimoniales” de recursu contra decretum collegii quod reiecerit ordinarium *tertii gradus* examen, assumit idem argumentum decreti rotalis atque recurrit ad analogiam cum instituto de nova causae propositione.

Contra haec merito obliciuntur sequentia.

Articulos VIII et IX M.P. “Causas matrimoniales” attente legenti, apprime ac indubie patet eundem M.P., impugnationum normas in huiusmodi causis iterum recognovisse eas funditus mutando, ita ut recursus ad normam can. 20 fieri nequeat ad supplendum silentio legis, ideoque analogia applicanda non sit, sed ad can. 22, iuxta quem lex posterior prioris ex integro ordinans materiam, obrogat priori. Verum quidem est M.P. “Causas Matrimoniales” novum ex integro non edidisse systema processus matrimonialis sed admittendum est systema impugnationum funditus reformasse ad finem assequendum quem clarissime expressit quemque negligendo integer Motus Proprius inutilis prorsus evaderet.

Defensori vinculi vel parti quae se gravatam putet, ius est ergo recurrenti intra decem dies a publicatione decreti ratihabitionis ad superius Tribunal, sed tantummodo prolatis novis et gravibus argumentis, quae praesto sint, quaeque “debent exhiberi Tribunali *tertii gradus* intra mensem ab interposito recursu” (art. IX par. 1); statuitur ut Tribunal *tertii gradus*, “perpensis argumentis allatis, intra mensem ab interposito recursu, vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad ordinarium *tertii gradus* examen” (art. IX, par. 2). Nihil addit de appellabilitate vel minus istius decreti reiectionis recursus contra decretum ratihabitionis, ita ut recursus in *tertio gradu* tamquam terminus postremus habendus sit.

Verum quidem est causam esse de statu personarum, quae semper resumí potest, at non arbitrio partium, sed iuxta condiciones a iure statutas, id est solummodo novis prolatis iisdemque gravibus argumentis, diversis ab illis iam exhibitis et examini iam subiectis in *tertio gradu*.

Iure animadvertitur a Promotore Justitiae N.S.T. rationem specificam recursus attendendam esse. “Cum igitur a decreto ratihabitionis non detur

appellatio, a fortiori, a decreto recursum reiciente, appellatio non datur, et quidem, sive ex natura rei, sive ex ipsa ordinatione novae legis M.P. “Causas matrimoniales” statuta, qua “nullum praevидetur remedium legis post examen tertii gradus, quod valeat suspendere decisionis executionem (Dec. Supr. Trib. Signaturae Apostolicae in causa Januen., prot. n. 5206/74 CG)”.

Alia plura in discussione dicta sunt quae non videntur ad rem. Unum tamen adnotandum censemus. Legimus in decreto impugnato: “praeteriri nequit opportunitatem agendi causam hanc penes Tribunal N non reperiri ex domicilio partis conventae, neque ex eiusdem commoratione neque ex commoratione testium excutiendorum, neque ex domicilio ipsius partis actricis, neque denique e partium testiumque lingua. Huic animadversioni merito respondetur nuptias de quibus agitur P celebratas esse bello civili in R diu aestuante, utrumque contrahentem, sicut plerosque testes excutiendos in ea T regione Meridionali profugos esse ibique commorantes; ex parte autem Tribunalis N, competente ratione contractus, nullam difficultatem exstitisse quoad linguam.

Concludimus e dictis patere impugnatum decretum S.R. Rotae neglexisse praescriptum iuris quo nullum remedium legis conceditur post examen tertii gradus de quo in art. IX, §2 M.P. “Causas matrimoniales”, quod valeat suspendere decisionis executionem. Propterea: attenta reiectione recursus contra decretum ratihabitionis a Turno Rotali c. Huot die 23 oct. 1975 decreta, idem *Decretum Tribunalis W diei 7 martii 1973, quo rata habetur sententia pro nullitate a Tribunali N die 14 iun. 1971 in causa de qua supra latum, executioni demandandum esse.*

Dubio Nobis proposito respondemus: Affirmative, id est: “Restitutionem in integrum adversus decretum a S.R.Rota die 26 maii 1976 latum, concedendam esse, in casu”

(Sig. ti) Dinus Card. Staffa, *Praefectus* et *Ponens*
Aegidius Card. Vagnozzi
Maximilianus Card. De Fürstenberg
Franciscus Card. Carpino
Paulus Card. Bertoli
Sylvius Card. Oddi
Jacobus Card. Violardo
Humbertus Card. Mozzoni
Petrus Card. Palazzini

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Notificetur

Romae, die 22 aprilis 1977

+ Aurelius Sabattani, Secr.

